



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

De Festo Corporis Christi. XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40233**

Legitur autem de libris Regum, ex Decreto Gelasij, vt diximus *Sect. 5. cap. 12. num. 8. pag. 85.*

## De Festo Corporis Christi.

CAP. XX.

**O**fficium scripsit sanctus Thomas. & habetur in *Opusc. 57.* iuxta ritum illorum temporum. Hodie concordamus cum auctore, seruatō ritū Pij V. in Officio toto, his exceptis. Capitulum in primis Vesperis erat aliud. Lectiones primi Nocturni erant de Scriptura veteri: amoto quarto Responsorio S. Thomæ, additum est sextum de nouo, Pij V. iussu.

2 Per Octauam non mutatur amplius Inuitatorium, neque Antiphonæ ad *Benedictus & Magnificat.* Lectiones quoque pro tribus Nocturnis additæ sunt à Pio V. in quibus apparent congruentiæ cum mysterio, etiam in primis Lectionibus, quæ de Arca Testamenti, Eucharistiæ figura, narrationem continent.

3 De Priuilegijs huius Octauæ, si concurrat cum Festo, & Octaua sancti Ioannis Baptistæ, & qua ratione excludat Semiduplicia Festa, & Duplicia translata, diximus *Sect. 3. cap. de Octauis.*

4 De Simplici fit tantum commemoratio infra hanc Octauam. An nona Lectio erit legenda? Negant aliqui, quia hoc non dicitur in propria Rubrica; quod tamen dictum fuit in Rubrica posita infra Octauam Ascensionis: sed vna Rubrica explicat aliam, prior posteriorem. & patet debere legi, ex Rubr. gen. *de Commemor. 9. num. 10.*

5 Indulgentiæ concessæ ijs qui in-

mundi

terfunt Horis Canonis in Festo, & per Octauam, valent, etiam si Officium dicatur de Sanctis occurrentibus, ex Decreto Ioannis XXII. quod ego legi in antiquo M. S.

## De Dominicis post Pentecosten.

CAP. XXI.

**N**on minorem viginti tribus, nec maiorem viginti octo Dominicarum numerum post Pentecosten fore vsque ad Aduentum, satis superque patet; quæ suppletur cum Dominicis quæ supersunt post Epiphaniam, vt docuimus *Sect. 3. c. 5. de Dominicis pag. 25.* Ponuntur autem in Breuiario Dominicæ viginti quatuor cum proprijs Orationibus & Euangelijs, quæ fuerunt optimè per Dominicas distributa; Orationes quidem à sancto Gregorio, Euangelia verò à sancto Hieronymo: quorum auctoritas sufficiat pro ratione, cur potius hæc vel illa Oratio; cur hoc vel illud Euangelium legatur; & hac vel illa Dominica. Idem ferè, paucissimis mutatis, tum textus, tum ordo Euangeliorum hodie perseverat à sancto Hieronymo præscriptus, vt vidimus in eius Comite, seu Lectionario: in primis autem Dominicis post Pentecosten apud minus antiquos erat alius ordo, vel mutata sedes aliquando Dominicæ pro diuersarum Ecclesiarum vsu: quod videre est in *Ruper. 1010 lib. 12. de Diuinis Offic. in Gemma lib. 4. 1010,* & in *Durando lib. 6. 1010.* Orationes item, quæ mox sequuntur, Ambrosianæ sunt, & à sancto Gregorio aliter distributæ, nimirum, Dominicæ quintæ, nonæ, & vigesimæ primæ, reliquæ Romanæ.

R 3

2 Tem-